



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. XIX. Vt mundus crucifigendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT XIX.

Vt mundus crucifigendus.

Mihi mundus CRVCIFIXVS est, &
ego mundo. Gal. 6, 14.

CRVX mihi mundus, ego CRVX illi: mortua
vino

Illi, quæ pro me mortua vita fuit.



ONVM, aiebat Christus, hoc
tuum, ô Staurophila, votum,
sed præter carnem & aliud et-
iamnum restat crucifigendū.
Dic, obsecro Domine, aiebat
Staurophila, quidnam illud? Mundus, in-
quiebat Christus, & quidquid ad illum per-
tinet. *Sicut enim me exaltato in CRUCE do-
lores obtinuerunt habitatores Philisthijm, &
tunc conturbati sunt principes Edom, sic non
aliter timebunt te demones, nec aliter tremor
tuus veniet super eos, nisi videant in te CRV-
CEM meam, nisi & tu potueris dicere, Mihi
mundus crucifixus est, & ego mundo. Talem
enim oportet esse Christianum, & hanc vocem
semper habere in ore. Nihil hac mortificatione
felicius. Hoc est beata vite fundamentum. Si*

Origenes
Homil. 6.
in Exod.

Chrysoft.
in cap. 6.
Epist. ad
Galat.

S ita

ita Domine, inquiebat Staurophila, oportet fieri, iam duo erunt in CRUCE vnâ, & non ego tantum, sed & mundus mecum CRUCI affigendus. Non tibi mirum hoc videatur, aiebat Christus, nam dum ego *visibiliter in carne CRUCIFIXVS sum, inuisibiliter quoque in eadem CRUCE diabolus cum principatibus suis & potestatibus affixus est CRUCI, tunc quod erat contrarium vobis (vt Paulus ait) tuli de medio affigens CRUCI meæ, exuens principatus, & potestates traduxi, libere triumphans eas in ligno CRVCIS. Duplex ergo ratio CRVCIS; vna illa quâ ego crucifixus vobis reliqui exemplum; & hæc secunda, quâ CRUX illa trophæum diaboli fuit, in quo & crucifixus est, & triumphatus. Ad eandem formam duo contraria tibi sunt crucifigenda, tu ipsa nempe mundo, & mundus tibi.*

Intricatius hoc mihi videtur, inquiebat Staurophila, quàm vt capere queam. Elucidabo igitur, aiebat Christus: *Mundo crucifigeris tunc, cum veniens princeps huius mundi in te non inuenit quidquam: & tibi mundus crucifigitur, cum peccati concupiscentias non recipis. Amor CRVCIS meæ vitam, mundi verò amor parit mortem: inuicem ergo sibi moriantur, & mundus tibi, & tu mundo. Mundum autem intellige, non cælum neque terram, sed res temporarias, laudem ex hominibus,*

Origenes
Hom. 8. in
Iosue.

Coloff. 2,
14.

Origenes
loc. citat.

Ambr. in
cap. 6. ad
Galat.

Chrysoft.
in cap. 6.
ad Galat.

bus, famulitium, gloriam, opes; hæc & omnia
 quæ vulgo videntur esse magnifica, tibi sint
 mortua, & tu vicissim illis. Nec illa te ca-
 piant, aut manibus iniectis captiuum ducant,
 neque illorum cupidine tenearis. Vtinam, ô
 Saluator mundi, aiebat Staurophila, mundus
 cum flore suo, & sæcularibus desideriis in
 corde meo ita exarescat, vt penitus mihi mo-
 riatur, & crucifigatur; nihil vt illius concu-
 piscam, nihil illius me delectet, nihil illius in
 me viuat! Respondit Christus: Et quando
 tibi crucifigeretur mundus, nisi pro te crucifi-
 geretur, per quem factus est mundus? Sine
 me, filia, nihil potes, in me, autem potes om-
 nia. Certissimum autem hoc adiutorium
 quod tibi in me, & per me est, satis insinua-
 uit Apostolus, dicens: *Mihi autem absit glo-
 riari nisi in CRUCE Domini nostri Iesu Chri-
 sti, per quem mihi mundus CRUCIFIXVS est,
 & ego mundo.* Obserua Staurophila, & ex-
 pendere illud, per quem mihi mundus crucifi-
 xus, hoc enim non poterat Paulus ex se, sed
 tantummodò per me. Subijciebat rursus
 Staurophila: Et ego Domine de abundan-
 tiâ gratiæ tuæ iam dicere mihi posse videor:
*Mihi mundus crucifixus est. Omnia enim quæ
 mundus amat, delectatio carnis, honores, diui-
 tiæ, vana hominum laudes, CRUX mihi sunt.*
 Si autem mihi mundus crucifixus est, scio quia

August. de
 Verb. Apo-
 stoli.

Gal. 6, 14.

Bernard.
 Serm. 7. de
 Quadrag.
 Antelm. in
 cap. 6. ad
 Galat.

mortuus est. Non diligo eum, scio quia præterit. Non concupisco eum, scio quia corruptela consumetur. Eum præinde quasi fœtidum vito, quasi lutum caueo, quasi nociturum relinquo.

Benè id quidem, aiebat Christus, & non ad insipientiam tibi: sed bonum quoque ad vltiora te extendere, vt non tantùm mundus tibi sit crucifixus, *sed & tu mundo.* Quid autem hoc? nisi vt talem te exhibere studeas, vt à mundo quasi mortua concupisci nõ possis: & sicuti mundi gloriam non quæris, ita nec mundi gloria te quærat, sed velut

Anselm. citato loco.

fœtens ab eo contemnaris? Plerumque autem contingit, vt iam homo mundum mente non teneat, sed tamen mundus eum occupationibus astringat. Et ipse quidem mundo iam mortuus est, sed ipsi mundus adhuc mortuus non est. Quasi enim viuus adhuc mundus eum conspicit, dum alijs intentum, suis actibus aliò rapere contendit. Inuehitur in similes Apo-

Coloss. 2. 20.

stolus, cum ait: Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tamquam viuentes in mundo decernitis? Qui mundo mortuus est, quid adhuc negotiis mundi se implicat? Cum non modò mortuum in corde suo mundum mortuis relinquere debeat sæcularibus, sed talis insuper esse, vt etiam iis que mundus reputat CRUCEM, illis affixus sit, illis adhareat, illa toto amplectatur affectu.

Bernard. loc. cit.

Sub-

Sublimis, inquiebat Staurophila, & Apostolicæ prorsus eminentiæ hic gradus est, quem Paulum designasse, putauerim, cum dixit: *Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* 1. Corinth. 4. 13. Anselm. in illum loc. Tales scilicet mundanorum reputatiqne erant, ut totus mundus, illis sublatis, omnimodâ sordē videretur purgatus, adeo denique superflui & immundi, atque hominum vsui inutiles, velut peripsema, siue purgamentum ferri, vel corium pomi, quod undique aufertur, ut ipsum pomum dulcius comedatur. Ita est, mea Staurophila, subiiciebat Christus, non Apostoli dumtaxat, sed & vniuersi qui mihi seruire voluerint, mundo sunt despicabiles, quorum hæc iam olim ad Deum lamentatio: *Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione. Quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, & despectio superbis.* Ps. 122. 4. Verum, quod omnes seruos meos consolari debet, exiturus de hoc mundo ad Patrem præmonui & præmuniui eos, dicens: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Ioan. 15. 18.

Quàm bonum, Domine, aiebat Staurophila, & quàm iucundum immundū hunc

mundum, qui tuos odio habet, perfecto odio odisse! Quàm vtile hunc sibi crucifigere, illique vicissim crucifigi! sed vnum hoc te obsecro, efficacem vt suggeras rationem, quâ incitata validiùs id velim & valeam. Subiecit mox Christus: *In quantum Dei sapientiam, per quam facta sunt omnia, spiritaliter intelligis, in tantum carnalibus affectibus moreris, vt mortuum tibi hunc mundum deputans, ipsa huic mundo moriaris, & dicas: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nemo enim faciem, id est, manifestationem ipsius diuinæ sapientiæ potest videre, & viuere. Ipsa enim est spesies, quæ rapit omnem animam rationalem desiderio sui, tantò ardentior, quantò mundior: & tantò mundior, quantò ad spiritalia resurgentem: tantò autem ad spiritalia resurgentem, quantò à carnalibus morientem.* Atque hæc, vt arbitror, satis ad confirmandum te, ne conformeris huic sæculo, aut illius quidquam requiras. Vtique satis, aiebat Staurophila, nihil enim iam in mundo mihi placet, non ille me tenet, nihil illius teneo. Quidquid ille conferre potest, non me delectat adeptum, non contristat ademptum, vnicum hoc mihi votum, *ô Amor meus! tibi adherere, tibi vniri.*

August. 2.
de Trin.